


2  
H. lit.  
227

DIVINIS AUSPICIIS  
&  
benignissimo  
SUPERIORUM  
indultu  
SAECULARIA  
SACRA SECUNDA  
ECCLESIAE EVANGELICAE  
in  
GYMNASIO POETICO  
solemniter celebranda  
indicit,  
PATRONOSq; FAUTORES & AMICOS  
MUSARUM  
ad  
benevole audiendas  
ORATIONES,  
quibus  
Sex Juvenes ingenui ac præstantissimi  
ex Lectionum publicarum Auditoribus  
necessarium  
Ecclesiæ cum bonis litteris commercium  
in Auditorio publico majori  
d. IV. Non. Novembr. A. O. R. cIɔ Iɔ c XVII.  
hora II. pomerid.  
pro suarum quisq; virium modulo exponent,  
submisso, observanter & peramanter  
invitat  
M. CHRISTOPH. ZIPPELIUS,  
Gymn. Poët. Rector & Prof. Publ.

Ratisbonæ, typis Joh. Georgii Hofmanni.





**T**anta Divini Numinis ex Anno sæculari Ecclesiæ per D. Lutherum restauratæ secundo elucet benignitas: ut in gaudii publici, quod præter reliquas Inclita nostra Civitas exinde percipit, societatem Gymnasium quoque Poëticum merito veniat, beneficiorumque divinitus in se collatorum memoriam recolat. Quibus igitur potest, documentis pietatem suam D E O, tantæ felicitatis auctori, solemni quodam Actu Oratorio probatum ire conabitur. Priusquam vero instituti hujus rationem exponam: non omnino ingratum fore LECT'ORI BENEVOLO credo, si paucula quædam, quæ ad Gymnasii nostri statum pertinent, præfatus fuero. Quod ut facili negotio præstare possum, benevolentia Viri Magnifici atque Præstrenui, D N. J O H. G E O R G II G O E L G E L II, Consularis & Curiæ Ædilitiæ Directoris Gravissimi, ferendum in acceptis est. Hic ut afferendis luci monumentis Urbis aliis sollicite intentus est; ita industria laudibus nostris majori Gymnasii quoque nostri historiam luculentissimam, inde à primis ejus incunabulis deductam, adornavit, propriaque manu scriptam nobis exhibuit. Pace igitur tanti Viri, cui & hoc & aliis nominibus devinctissimum se profitetur Gymnasiū, laudatissimam historiam Manuscriptam in usum meum convertere hac occasione mihi liceat.

Poëticum nostrum audit Gymnasium, appellatione prorsus eidem peculiari: cuius duplex potissimum causa solet afferri. B. Dn. *Andreas Raselius*, Cantor quondam & Præceptor Classis IV. Gymnasii nostri solertissimus, in Annalibus suis Ratisponensibus Manuscriptis originem cognominis hujus à consuetudine illa repetit, qua scholarum in Bavaria multarum Rectores appellati olim Poëtæ fuerint; eo quod tali officio fungentes viros arte Poëtica plurimum excellere oporteat. Sed veritati propior est, & Gymnasio nostro majori decori cedit B. Dn. *Georgii Henrici Ursini*, qui Rectoris ante me secundi munere heic functus est laudabiliter, sententia: cuius Programma, Exatmini Verinali A. C. clo loc LXXXIX. præmissum, appellationis hujus originem

ad prima rei litterariæ defert initia, & Græcos pariter veteres ac Romanos institutionem pueritiae non aliunde, quam à Poëtarum lectione auspicatos, strictamq; numeris orationem soluta priorem, & in tanto fuisse pretio docet, ut soluta ideo pedestris dicta fuerit, quod è veteri illo fastigio delapsa quasi ad pedes esset. Habet igitur Gymnasium, ut hoc antiquo glorietur nomine: maxime cum non aliam magis artem, quam Poësin, juventuti prodesse, illosque, qui ea probe imbuti sunt, præ reliquis cuicunque artium generi cum laude & fructu operari, diuturna doceat experientia. Poësis nempe, ex modo laudati Ursini mente, apex & fastigium omnis doctrinæ liberalioris, bonarum artium princeps, sapientie simul & doctrinae caput est. Qua de causa Phil. Melanchthon diligenter observare jussit Germanos: *Quemadmodum Romanis temporibus poëtices contemnum incredibilis inscitia rerum omnium, infantiam secuta sit; ita tum, quum eruditissimi Germanorum versiculos facere coepissent, hos cum melioribus litteris in gratiam rediisse.* Declam. T. I. p. 409. Quis ignorat illud Petronii:

— — *Det primos versibus annos,  
Mæoniumq; bibat felici pectore fontem?*

Nec Quintilianus tam vili auctoritate est, quin ejus hac de re attendi mereatur judicium: *Optime, inquietis, institutum est, ut ab Homero atq; Virgilio ledio inciperet.* Nemo igitur vitio nobis vertere poterit, quod tantopere, quantum per temporum injuriā licet, Poëseos studium apud nostros urgeamus.

Quod vero ad ipsa Gymnasii nostri fata pertinet, admodum difficultia illius erant primordia. Cum enim Evangelii lux sub prima statim initia huic quoque Civitati affulisset: Magistratus Amplissimus potissimum de juventute his sacris imbuenda cogitavit, eamque duobus Monachis, D. Augustini regulam sequentibus, quorum alter Frat. *Leonhardus*, alter F. *Georgius* appellabatur, quique Megalandri nostri, Lutheri, doctrinam amplexi publice propugnabant, commiserunt, bonis artibus & Evangelicæ doctrinæ præceptis solerter informandam: quibus paulo post M. *Caspar Nævius*, à Phil. Melanchthonne hunc in finem Witteberga huc missus, cum alio quodam, cuius nomen *Lucas* erat, adjunctus fuit. Dicti vero monachi non solum A. C. 1531, monasterio ejectedi, sed ipse quoque Nævius Ao. 1537. vel 38. Cæsaris mandato inde discedere, scholamque suam transferre in ædes Fuchianas, quas paulo ante Senatus publicis sumtibus coemerat, coactus est. His ipsis ædibus per divinam gratiam adhuc honor iste durat: quarum usus ut quodammodo cuilibet statim pateat, rostrum earum, è regione Templi, S. S. Trinitati sacri, hos versus exhibet:

Gloria sit Patri, sit maxima gloria Christo,  
Gloria sit Sancto Spirituique Deo.

S. P.

S. P. Q. R.

Disce fidem moresque bonos: & cætera vitæ  
Subsidia humanæ conferet ipse Deus.

Ab illo inde tempore, quo Musarum sedes in his ædibus fixa fuit, majora indies illa cepit incrementa: adeo ut Ecclesia & Respublica plurimosexinde fructus collegerint, & adhuc per Dei gratiam colligant.

Ultra initia Gymnalii hac vice non licet progredi: quare catalogum *Rectorum*, suis elogiis ornatorum, tantummodo contexam, alio tempore, si DEO ita visum fuerit, *Professorum*, *Con-Rectorum* & reliquorum *Collegarum* laudes celebraturus. Moderati autem hactenus Gymnasii nostri habenas sunt

1. M. CASPAR NÆVIUS, Chemnitio-Saxo, per septem fere annos; postea Saxonicus Archiater, & Medicinæ Professor Lipsiensis celeberrimus.

Arte potens Medica, *Nævi*, fundamina ponis  
Gymnasii: *nævos* tollere nempe venis,  
Queis pubem Musis sacram consperferat ætas.  
Te *Medico* vires nostra *palaestra* capit.

2. HENR. WEIKERSREUTER, Schwabaco - Onoldinus, per exiguum modo tempus; nempe paulo post Ecclesiastes Tübingensis; tum Pastor & Superintendentens Calbensis; & tandem Abbas Hirschaviensis meritissimus.

Succedit Medico *Weikersreuterus*, & addit  
*Theiologus* Clario robora diva gregi.

Tum teneræ surgunt plantæ, cum rore madescunt  
Cœlesti, qualem fundere doctus eras.

3. M. JOHANNES LINDA, Poeseneca, oppidulo ad Jenam sito, Thuringus, exiguo item tempore; postea Dicasterii Assessor, tum Grammatéus, & tandem Syndicus, adeoque, quantum ex gestis his officiis judico, Jctus.

Omine non vano *Juris-Consultus* habenas  
Gymnasii nostri flectere *Linda* venit.

Nam sanctæ *Themidos* sine fructu templa frequentant,  
*Phœbi* qui *phihyras* non coluere prius.

4. M. NICOLAUS AGRICOLA, è pago Thuringico, Döllendorff/ oriundus, Poëtæ titulo insignitus, per undecim fere annos; antea Praeceptor Clasicus: à cuius forsan tempore, si conjecturis locus est, Gymnasio nostro *Poëticæ* nomen inditum est.

*Agricolam miror titulum summissè Poëtæ.*

*Num colit Aonidum sacra Poësis agros?*

*Quis dubitet? Nemo doctrinæ est aptior omni,*

*Quam qui Castaliis fontibus ora rigat.*

5. M. JOHANNES ERBERUS, Cambo-Palatinus, primo Præceptor, deinde Rector, per unum modo annum. Ambitiosæ uxoris consilio Scholæ valedixit, & Tubingæ Doctoris Medici honores ambiit, successu infelix.

*En! venit Erberus, mores plantatque modestos,*

*Queis sine vilescit nobilis artis honos.*

*Moribus exculti juvenes in Palladis hortis*

*Florigeris spargunt suavis odoris opes.*

6. M. HIERONYMUS OSIUS, Schlottheimio, quod ad Comitatum Schvvarzburgensem pertinet, Thuringus, ex antiquissima Osiorum familia Mediolanensi originem ducens, modo *Schlottheimius* à patria, modo *Geranus* à loco educationis, Gera, dictus, per tres annos. Tandem Professor Philosophiæ Jenensis, & Comes Palatinus Cæfareus, multis eruditis scriptis clarus.

*Fallor? an est Osius sic dictus origine Græca?*

*Certe ois pulcrum nomen & omen habet.*

*Nam disciplina sancta custodit amoenos*

*Hortos Musarum: Sanctior inde locus.*

7. M. HIERONYMUS HAUBOLDUS, Thuringus, Flacianismi reus statione sua post quatuor annos abire jussus.

*Hauboldum Flacii schola cum delegit alumnum:*

*Non poterat nostræ Rectoris esse scholæ.*

*Scilicet antiquæ fidei schola nostra dicatur;*

*Qualis Apostolicis est reparata sonis.*

8. JOHANNES WOLFFIUS, Vinaria-Thuringus, qui antea patriæ Scholæ Rector, à Synergistis in exilium ejectus, idem officium apud nos per quatuordecim annos gessit. Reversus tandem in patriam Consul is ibidem dignitatem consecutus est.

*Triste lupus stabulis: Musarum fidus ovile*

*Sed tegit à rabidis Wolffius hocce lupis.*

*O tempus felix! O certæ pignora pacis!*

*Tam bene conveniunt quando ovis atq; lupus.*

9. M. OTTO GRYPHIUS, Goarinus Cattus, antea Verbi Minister Ziegersheimensis. Hic, viginti quinque annorum laboribus scholasticis debilitatus, veniam impetravit quiete Tubingæ fruendi: ait brevi post ibidem exspiravit. Poëta egregius & artificiosus.

Obsequio promto cervices *Pegasus* altas  
Submittit, *Gryphi*, jussibus ecce! tuis.  
*Gryphes equis* juncti si signant *aurea Sæcla*:  
Sors certe risit, te duce, læta scholæ.

10. CHRISTOPH. SCHWANSHOFER, Ratisponensis, antea Gymnasi Oedenburgensis in Hungaria inferiori, post nostri per tredecim annos, & quidem primi *Jubilæi Eccles. Evangel.* tempore, iterumque Oedenburgensis Rector.

*Aulam cygnorum* sibi *Schwanshoferus* adornat,  
Artem dum Phœbi pectora casta docet.  
Ipseque *Lutherum cygnum* canit arte perita,  
Urbi cum dederat *Jubila prima DEUS*.

11. M. JACOB. FISCHER, Kirchen - Teccâ Würtenbergicus, per quinque annos; post Ecclesiæ nostratis Minister; qui hinc discedens in suburbio Hamburgi vita defunctus est.

Quid tibi vis, *Fischere?* Locus non *piscibus* isthic  
Captandis facer est; *piscibus* ille caret.  
At *piscare* tamen! Juvenes *Permessidos undis*  
Tingendos, *pisces* quid vetet esse tibi?

12. ANDREAS ÆGIDIUS SCHOENTELIUS, Ratisponensis, primo Con-Rector, & post gestum, tribus fere annis, Rectoris munus Ecclesiastes, peste Anno 1634. extinctus.

*Syllaba prima* tui, *Schænteli*, nominis *arti*  
*Pulcræ* respondet, qua bene cultus eras.  
*Altera* forte notat si *telam*: *texere telam*  
Musis, qui iuvenes instruit arte, folet.

13. M. SIGISMUND. EVENIUS, cui *Nauen*, Marchiæ Brandenb. oppidulum, vitam dederat. Rector fuit Scholarum Halensis Sax., Rigenensis, Magdeburgensis, Halberstadiensis, & tandem, per unius fere anni spatium, Ratisponensis, instituendæ juventutis & peritissimus & cupidissimus. Hinc discedens Vinarium abiit, & scriptis pluribus Philosophicis & Theologicis inclaruit.

Qualiter *Evenus*, torrens Ætolicus, undis  
Fœcundis, per quæ proruit, arva rigat:  
Taliter effundit doctas *Evenus* artes  
In pubem, Pindi quæ juga sacra colit.

14. M. ELIAS EHINGERUS, in pago Christgarten, olim cœnobio Carthusiano, natus, 1. bis Concionator Evangelicus in Austria, 2. exul inde, Rector Scholæ Rotenburgicæ, 3. Professor & Bibliothecarius Augustanus, 4. post alterum exilium Rector Illustris Gymnasii Saxonum, in Porta Mariæ, 5. iterum Prof. & Biblioth. Augustanus, 6. post tertium exilium Rector Gymnasii nostri per septem annos, tandem ob senectutem ingravescerentem rude donatus. Vir & nobis utilis, & adversariis carus, scriptis plurimis & editis & Manuscriptis immortalem famam adeptus.

Nescit *Ehingeri* laudes extollere Musa:  
Has tibi cantandas sume, *Sionis apex*.  
Culminibus Pindi ceu sol affulserat almus  
Vir, cuius radiis iugiter illa nitent.

15. M. JOH. CHRISTOPH. WIDERUS, Grieskirchæ in Austria sup. in lucem hanc editus, per triginta quinq; annos; posteaquam Con-Rectoris in eodem nostro Gymnasio per sex annos munus gesserat laudabiliter.

*Aurea portabas, Ratis ô Bona, vellera:* pubis  
*Widerus* Rector cum fuit ille tuæ,  
*Qui sistebat oves tibi, quas pretiosius auro*  
*Vellus comebat, cultior artis honos.*

16. JOH. HENR. URSINUS, Spirensis, primo Præceptor secundæ, post tertiac, & mox, saltu egregio, Rector & Professor publicus, per viginti novem annos, scriptis, potissimum Philologicis, compluribus insignis.

*Efformant ursi catulorum corpora lingua:*  
Sed plus *Ursini lingua diserta* valet.

*Mentes hæc format, communes urbis ad usus:*  
*Cunctis Ordinibus suaviter illa sonat.*

17. M. CHRISTIAN. ERDMANN. PFAFFREUTERUS, in pago Nemmersdorff prope Byruthum natus; primo Con-Rector, deinde Rector & Prof. Publ. per quinque annos, in optimo ætatis flore ad sedes meliores evocatus.

Sacri-

*Sacricolis profunt artes, quas tradit Apollo:*

*Non minus his Equites eminuisse decet.*

*Hinc Pfaffreuterus sic res disponit agendas,*

*Artibus ut togæ sit fulgidæ, sitque sagum.*

Habes igitur, L. B., quæ præfari Actui huic solemni visum mihi fuit.

In gratiam exterorum eos, qui nunc temporis formandæ juveni-  
tuti præfunt in Gymnasio Poëtico, subjiciendo duxi.

Professorum publicorum, qui, si tempore, ordine quoque priores esse  
solent, munere funguntur

1. JOHANNES MEYER, Greslicio, Districtus Metalliferi op-  
pido ad fines Misniae, Saxo, universæ Philosophiæ Prof. Pub.
2. M. JOH. CONRAD. WAK, Ratisponensis, SS. Theolo-  
giæ & LL. Orient. P. P.
3. M. CHRISTOPH. ZIPPELIUS, Langenavia-Gorlicensis,  
sup Luf., Utriusque Linguæ & Histor. P. P.

Præceptorum munia gerunt

1. Idem M. CHRISTOPH. ZIPPELIUS, Rector.
2. JOH. CHRISTOPH. EIBELHÜBER, Ratisp. Con-  
Rector.
3. JOH. LEONHARD. KEYSER, Ratisp. Præceptor Classis  
IVtæ.
4. JOH. MATTHÆUS BEURER, Bachhusæ in Comitatu  
Sultzbürgensi natus, Præceptor Classis IIIiæ.
5. ZACHARIAS BOERNER, Ronneburgo-Saxo, Præceptor  
Classis IIIdæ, & Chori Musici in Templo Osvaldino moderator.
6. CHRISTOPH. STOLZENBERG, Wertheimio-Francus,  
Præceptor Classis Imæ Ord. sup. & Cantor.
7. JOH. CASPAR HIEMANN, Johannis-Georgii-villæ Saxo,  
Præceptor Classis Imæ ord. infer. & Chori Musici in N. T. mode-  
rator, item Alumnorum Inspector.

Floreat, his ducibus, Musis sacrata juventus,

Proficiuas patriæ colligat artis opes!

Succedant illis, per quos stet gloria Pindi

Luce Evangelii, dum ruat ipse polus!

Jam, quo ordine ipsum Actum solemnem disposuerimus, breviter ex-  
ponendum est. Initium ejus Chorus Musicus faciet hymno Am-  
brofiano. Tum cathedram concendet

JOH. SIGISMUND. RÖHLE R, Ratisp.

& *Litterarum ortum ante Reformationem Ecclesiæ Historice, Oratione  
soluta Latina, exponet. Excipiet eum*

CONRAD. ERNEST. RÜPPELIUS, Wonsidel. Fr.  
& Utilitatem litterarum renascentium in restauranda Ecclesia demonstrabit,  
*Oratione itidem soluta Latina.*  
Hos sequens Oda comitabitur:

1.

HUcadeste! ferte, Musæ,  
Thura sancto Numini!  
En! fores patent reclusæ  
Artium nunc lumini.  
Nunc tenebræ dissipantur:  
Tecta vobis præparantur  
Solibus nitentia,  
Floribus virentia.  
Huc adeste! ferte, Musæ,  
Thura sancto Numini!

2.

Phœbe, surge, luce diva  
Sparge Pindi culmina!  
Viribus tuis nociva  
Pelle noctis fulmina,  
Laurus ut viætrix virescat,  
Docta pubes utque crescat  
Laureis honoribus,  
Artiumque floribus!  
Phœbe, surge, luce diva  
Sparge Pindi culmina!

3.

Lux perennet tam venusta  
Te, JEHOVA, vindice!  
Templa Musarum vetusta  
Te coronet indice  
Pax, salus & flos amœnus,  
Vultus & poli serenus!  
Nulla turbent nubila  
Tanta Pindi jubila!  
Lux perennet tam venusta  
Te, JEHOVA, vindice!

Tum *Hebraicæ* potissimum, *Græcæ* & *Latine* Linguae in Ecclesia restauranda  
ufum indicabit *Oratione Græca soluta*

JOH. DAVID SCHMIED, Uffenheim. Francus, Alumn.  
Succedet huic

MATTHÆUS WIDER, Ratisp.  
& Carmine Heroico Latino Triumphum Fidei decantabit.  
Horum & sequentium duorum Oratorum operas conneget sequens,  
ut vocari consuevit, *Cantata*:

Cho-

Chorus.

Seh willkommen / schönstes Licht /  
Das uns Glanz und Heil verspricht!  
Du entzündst die Glaubens - Kerzen  
In den dir getreuen Herzen:  
Du vertreibst durch Gottes Macht  
Die betrühte Kummer - Nacht.

Recit.

Gottes Wort  
Ist ein Licht auf unsern Wegen.  
Wenn sich rauhe Sturm' erregen /  
Wenn Satan schnaubt /  
Wenn Sünde / Welt und Tod uns alle Kräfte raubt:  
So dringet dieses Lichthes Schein  
In die beklemmten Herzen ein /  
Und zeiget uns des Glaubens sichern Port.

Aria.

Ohne Gott sind Menschen-Künste  
Düst're Nebel / leere Dünste.  
Gottes Wahrheit ist der Stern /  
Der den ausgerlesnen Kern  
In den Wissenschaften zeiget /  
Wenn sein Glanz sich zu uns neiget.

Da Capo.

Recit.

Ihr Meusen / nehmet doch  
Den theuren Schatz des Bibel-Lichtes an.  
So lange dessen Glanz in euren Chören bleibet /  
Und euren Fuß auf Gottes Wege treibet:  
So lange wird kein Barbarisches Joch  
Und keines finstern Irthums Wahn  
Den edlen Schatz der Weisheit euch entziehn.  
Auf! schicket diesen Wunsch zu Sions Höhen hin:

Chorus.

Grosser Gott / entzeuch uns nicht  
Deines Wortes helles Licht!  
Läß die Sinnen und Gedanken  
Nicht von deiner Wahrheit wanken!

**Laß durch dieses Lichtes Schein  
Uns des Lichtes Kinder seyn!**

Postea in medium prodibit

**GEORG. FRIED. MORATH, Rat.**

& *Oratione Germanica soluta Utilitatem ab Ecclesia restaurata in bonas litteras provenientem ostendet.*

Tandem horum omnium, & totius Gymnasii, partes suscipiet

**GOTTFR. MEMMINGER, Rat.**

& *Carmine Sæculari Germanico debitam DEO, Superioribus & toti Civitati pietatem nostram testabitur.*

Finem universo Actui Chorus Musicus suavi tibiarum, chordarum, tubarum & tympanorum concentu imponet.

Vosigitur, PATRONI Musarum & STATORES Optimi, Vos FAUTORES & AMICI earundem æstumatissimi, ea, qua par est, animi submissione, observantia & humanitate rogo quæfoque, ut jubilis nostris benevole interesse, Gymnasiq; florem & salutem curæ cordique Vobis habere porro dignemini. Valete! Dab. Ratisp. è Museo d. VI. Cal. Novembr. A. O. R. cl. I<sup>o</sup> cc XVII.

